



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Dispositionis Et Perioches Historiæ Actvum Apostolorvm Secvndvm Lvcam,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

HISTOR. ACT. APOST.

Discipuli adorato ipso, in urbem expectaturi spiritum  
sanctum reuertuntur.

DESCRIPSIT hucusq; luculenta historia bea-  
tus Lucas incarnationē domini nostri IESU CHRI-  
STI, prædicationem item, præcepta & instituta eius,  
miracula quoq; et beneficia eiusdem, passionem deniq;  
mortem & resurrectionē ex mortuis clarissimā, eiusq;  
rei demonstrationem evidentissimam, sed & ascensio-  
nem eius in cœlū gloriosam. In cœlis modo regnat rex  
& pontifex uere summus, salus, plenitudo & caput ec-  
clesiæ suæ. E cœlo uenturus est breui iudicaturus uiuos  
& mortuos. Hunc ergo expectamus cum gaudio libe-  
ratorem, oramusq; supplices, ut omnium misertus, om-  
nes nos benigne ad se transferat, AMEN.

DISPOSITIONIS  
ET PERIOCHES HISTORIAE  
ACTVVM APOSTOLORVM  
SECVNDVM LVCAM,  
LIBER I.



NON diuellemus, interiecto S. Ioānis Euā-  
gelio, libros beati Lucæ, quos ipse coniun-  
xit. Sequitur modo post historiam euā-  
gelicam,



gelicam, historia rerum apostolicarum. Hæc uero histo-  
ria quid aliud est quam Euangelij pars, eaq; meo iudicio  
non minima? Siquidem illic describitur granū frumenti  
solo conditum, hic describitur enatum ac suas paulatim  
aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucā cogno-  
uissimus, quibus modis Christus reliquerit terras, ubi,  
quo loco, quibus modis aduenerit promissus ille spiri-  
tus, quibus inijtis cœperit ecclesia, quibus rebus pollue-  
rit, quibus creuerit rationibus, nōne bonam Euangelij  
partem ignorassemus? Recte itaq; Beda, Hic (inquit)  
non solum usq; ad resurrectionem assumptionemq; Do-  
mini perduxit narrationē, ut cæteri, uerum etiam dein-  
ceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credi-  
dit ad ædificandam fidem legentium seu audientium, ita  
scripsit, ut solus eius liber fide dignus haberetur in ec-  
clesia de Apostolorū actibus narrantis, reprobatis om-  
nibus qui nō ea fide qua oportuit, facta dictaq; Aposto-  
lorum scribere ausi sunt. Sed et Ioannes Chrysostomus  
mirantibus quī factum sit, ut Lucas historiam Apostoli-  
cam non omnem ad finem usq; sit persequutus, aut sin-  
gularum gesta singulis non descripserit libris, pulchre  
respondet, Hæc quidem sufficiebant his qui modo ani-  
mum uolunt aduertere.

Cur nō plu-  
ra scripseris  
Lucas.

Audiemus enim in breui hac historia totam pietatis  
summam esse comprehensam. Audiemus quæ fuerit ecc-



HISTOR. ACT. APOST.

ecclēsie infantia, qui auctus, quæ ecclēsie iustæ facies,  
 quæ doctrina apostolorum, qui ueteris ecclēsie ritus,  
 quæ studia, quæ religio, fides, doctrinaq; uera uel falsa,  
 uetus uel noua, qui ueri uel falsi doctores, qualia utro-  
 runq; ingenia, quæ artes, qui mores: item qualia sint  
 mundi studia, quales persequentium animi, successus,  
 quali.ue fata. Breuiter, uidebimus miram ecclēsie fa-  
 ciem, sed prorsus absolutam, nunc quidem in summa  
 tranquillitate euetam florere, mox inter turbas here-  
 sum & persequentium, in pericula abiectam mire ang-  
 & fluctuare, deum ubiq; opitulari, itaq; ecclēsiam in  
 ipsa oppressione seipsa subinde speciosorem emergere.  
 Quicquid enim ad salutiferam cognitionem & ad pie-  
 tatem excolendam necessarium est, quicquid à prima-  
 rijs Apostolis, Petro ac Paulo in primis, uel egregie dic-  
 tum uel sapienter & pie factū est, id absolute & plene  
 hoc libro traditum est. Totidem autem annorum histo-  
 riam texit, quot capita habet, octo uidelicet & uiginti.  
 Si enim Tiberius uigintiquatuor annis regnauit, decia-  
 mo octauo regni eius passus est Christus, restant igitur  
 anni sex: his adde C. Caligule quatuor, Claudij uero  
 quatuordecim, & ex Neronis imperio annos quatuor,  
 & habebis annos uigintiocto. Nam secundo Neronis  
 anno Paulus Romam uinctus uenit & biennium in li-  
 bera custodia exegit.

Anni huius  
 historie.

Totum



Totum opus in sex partiti sumus libros. At primo Cap. 1. 2.  
3. 4. 5.  
hoc, quo quinque priora exponimus capita, tractamus  
discessum Christi, & ecclesie primordia: nempe quo-  
modo Apostoli promissum patris expectantes, spiritum  
acceperint, huius auspicijs & robore ecclesiam congre-  
garint, quid & quomodo Christo testimonium dederint  
ac ueram religionem predicarint, quomodo ecclesiam  
hanc nouam Christi sponsam Christo initiarint, institue-  
rint, duxerint, quibus imbuerint ritibus, quibus deniq;  
studijs intenti uicerint tot minas & aduersariorum artes.  
Hic uidere est, qui sint impiorum mores, quae sutes, quae  
sanctorum patientia & uictoria.

## LIBER II.

**H**ACTENVS primitiuae ecclesiae ortum, in-  
fantiam, & quibus creuerit auctibus, enarraui-  
mus: quae nunc sequuntur peculiaria ferme sunt de cer-  
tis quibusdam maximisq; edita uiris. Primum enim se Cap. 6.  
& 7.  
offert D. Stephani historia, graphice depingens, quan-  
tus ille fuerit in asserenda ueritate, & quam constanter  
occubuerit pro nomine Christi. Cap. 8.  
Sequentur Philippi dia-  
coni gesta, quae ille magna quidem felicitate in Samaria  
cepit, & cum Aerario Candaces reginae, & in urbi-  
bus maritimis multo felicissime absoluit. Ab his tracta-



Cap. 9.

bitur admirabilis Pauli ad apostolatū conuersio. Postremo exponentur multa Petri præclara facinora, & quæ in urbibus maritimis, & quæ cū Cornelio Centurione, deniq; in uinculis quoq; Herodianis designauit. Quo loco & Iacobi apostoli interitus, Vocatio item gentiū, Antiochena ecclesiæ ortus & incrementa, nec non & totius orbis fames describetur. Hæc enim omnia in unū librum coniungere placuit.

Cap. 10  
11. 12.

## LIBER III.

**A**bsoluimus gesta Stephani, Philippi & Petri, uaria ac peculiaria quidē illa, Pauli quoq; nonnulla, adeoq; peregrinationem huius primam. Descendimus ergo ad secundam, & ad ea quæ cum Barnaba communia habet. Prima fuit qua à Damasco elapsus abiit in Arabiam, triennio autem exacto redijt Hierosolymam, & ab hac iterum Casaream profectus, in Tarsum Ciliciæ soluit, unde à Barnaba reuocatus Antiochie Christum prædicauit: atq; ab hac rursus unā cum Barnaba subsidij conferendi gratia Hierosolymam ablegatus, Antiochiam tandem redijt. Secunda iam tractabitur. In hac audiemus quomodo spiritus sancti auspicijs unā cum Barnaba procul ad gentes missus, appulerit Cyprum, atq; in hac Sergium Paulum uirum primarium,

Cap. 13.



rium, deniq; cum eo multas & maximas insulae urbes ad  
 fidem Christianã, profligato Elyma, cõuerterit. Deinde  
 quomodo in Pamphylia nauigans, et Christum in hac  
 prædicans, Antiochiam Pisidiæ uenerit. Hic exponetur  
 quomodo Christum ex prophetarum prædicariis ora-  
 culis, inuidia tamen quorundam pulsus fugerit Iconium, Cap. 14.  
 deniq; & illa eiectus urbe, uenerit in Lycaoniam. In  
 hac uero Derben & Lystram urbes celeberrimas euang-  
 gelij fulgore illustrat, claudum quendam erigit, aduersus  
 creaturarum cultum pro uera religione differit. Sed  
 uincente ingratitude quorundam hominum impiissi-  
 morum lapidatur. Restituitur tamen uirtute domini, re-  
 diensq; per eas quas ad fidem conuerterat urbes, confir-  
 mat fidelium mentes, ne uspiam à cognita deficiant ue-  
 ritate. Tandem re feliciter gesta, Antiochiam Syriæ un-  
 de uenerat redit. Cæterũ cum eo tempore nouum sub- Cap. 15.  
 oriretur Nazaræorum dogma, operibus legalibus salu-  
 tem tribuens, Hierosolymam ascendit, hæresim istam  
 impugnat, & communibus totius ecclesiæ calculis ob-  
 tinet fide in Christum non lege iustificari credentes siue  
 Iudæi sint, siue Gentes.

### LIBER III.

**I**AM uero sequentis libri texendum est argumẽtũ.  
 In hoc complexi sumus peregrinationem quam uo-



HISTOR. ACT. APOST.

- eant tertiam, hoc est, eam qua ab Antiochia digrediens  
 comite Sila, non modo nobiles Asia & Græcia urbes  
 peragravit, sed & eas omnes reuisit urbes, quas priore  
 peregrinatione ad fidem conuerterat Christi. His enim  
 perlustratis in Galatiam & Phrygiam se conulit, istius  
 euangeliū prædicauit. Hic uero Ephesum proficisci des-  
 liberans, prohibetur ne in hac prædicet, ergo ad Bythin-  
 nos iter instituit, sed ab his quoq; reuelatione auocatus  
 in Græciam secundis soluit uentis, & Neapolim quidem  
 primo appulit, hinc Philippos i. it, sed uirgis casus pro-  
 pter eiectum è puella quadam Pythonis spiritum, Anta-  
 phipolim, deinde Apolloniam, inde uero Thessalonicam  
 uenit. Orto autem tumultu demissus est Berrhœam, ab  
 hac Athenas, atq; hic cum diuersæ factionis disputantibus  
 philosophis, demonstrauit quantus ipse cum in dicitur  
 nis tum prophanis uir fuerit. Ab Attica Corinthū uenit,  
 quam Cicero lumen totius Græciæ dixit, ibi rara dilu-  
 gentia Christum prædicat annum unū & menses sex,  
 tandem inuidia Iudæorū inde pulsus Hierosolymam ab-  
 nauigat, ubi diem pentecostes peragit. Deinde iterum  
 reuersus Antiochiam ex hac abijt in Galatiam & Phry-  
 giam: tandem uero peragratis omnibus superioris Asiæ  
 partibus defertur Ephesum, atq; ibi magna quædam pa-  
 trat, & in maxima coniectus pericula ex insana libera-  
 ratur seditione, quam & graphice descripsit Lucas.



## LIBER V.

**H**OC in libro explicabimus quartam illam Pauli Cap. 20.  
 peregrinationem, qua is Macedonia & Achaia  
 ecclesias reuisit, iterumq; in Asiam soluit, Troadem de-  
 latus, in qua Eutychem qui inter concionandum e ter-  
 tio ceciderat coenaculo, restituit: postea uero aliquot ur-  
 bibus emensis Miletum uenit, in qua mire eleganti ac pia,  
 nec minus utili oratione presbyteros Ephesiorum &  
 circumiacentis agri instituit. A quibus tandem auulsus, Cap. 21.  
 & per uarias mediterranei maris insulas Caesaream de-  
 latus. Postremo Hierosolymam deuenit. Hic porro au-  
 diemus quomodo fratrum precibus euictus uotum su-  
 sceperit, templum ingressus, ibi a Iudaeis, tumultu exci-  
 tato, captus & iam iam ab ipsis interficiendus, a tribu-  
 no Lysia, e manibus eorum ereptus sit. Rursus quomodo Cap. 22.  
 permittente Lysia apologiam apud Iudaeos frustra pa- & 23.  
 rari: deinde uero ad Ananiam productus uapulari, in-  
 terim ipsis inter sese Phariseis ac Sadduceis hostiliter  
 digladiantibus. Audiemus praeterea quomodo structas  
 sibi insidias declinari, & armata militum manu cina-  
 ctus Antipatrida q; deductus, tandem Caesaream uenerit  
 ad praesidem Iudaeae Felicem, coram quo & causam suam Cap. 24.  
 accusante ipsum Tertullo oratore graui, egerit, adeo q;  
 & euicerit, sed in gratiam Iudaeorum nihilominus in uin-  
 culis sit detentus.



HISTOR. ACT. APOST.  
LIBER VI.

- Cap. 25. **E**XTREMO hoc libro absoluetur huius (ut se-  
dicam) fabulae catastrophe. Posteaquam enim co-  
ram Portio Festo et rege Agrippa diserte causam suam  
egisset, & Caesarem appellasset, Iulio centurioni traditus,  
per uaria maris Mediterranei pericula, primum in  
naui Adramyttina, mox in Alexandrina Romam ab-  
ducitur. Ceterum in Adriatico mari naufragium per-  
petitur, sed saluus una cum reliquis (sibi à deo donatis)  
quos ea nauis uexerat in insulam Meliten euadit. In hac  
uiperam è manu pendente excutit in focum, & Publij  
patrem febribus & dysenteria grauiter laborantem re-  
stituit. Deinde post tres menses iterum nauis impositus  
Puteolos appulit, inde uero pedes Romam deuenit, in  
hac uero biennium in libera custodia exegit, praedicans  
regnum dei, nemine prohibente.

Interitus  
Pauli.

2. Tim. 4.

HVCVSQVE uero persequutus est Luc-  
Actuum apostolorum Pauli potissimum historiam. Ca-  
etera scriptores (referente Erasmo) non indiligentes, et  
uarijs coniecturis uidentur addidisse: uidelicet Paulum  
primum apud Neronem dicta causa fuisse absolutum, et  
libere ubi uellet Euangelium praedicasse annos decem.  
Tandem ubi Neronis saeuitia iam processisset in rabiem,  
uocatum esse ad eius tribunal & capite truncatum.

Ceterum



Cæterū quod ipse Lucas historiā non longius prosequutus est, non modo ea uidetur esse caussa quæ à plerisq; creditur, quod morte interceptus, plura non potuerit: sed quod eatenus illā persequi uoluit, quatenus religioni Christianæ conduceret ac necessarium uideret: id ergo cum hætenus satis fideliter præstitisset, non erat quod Lectorem copiosiori oneraret Historia. Iam etsi Hispanias & Gallias deniq; ipsam Italiam peragrasset Apostolus, ipseq; Lucas et hanc profectiōē hisce adiecisset, quid obsecro post locorū, urbium & miraculorum diuersitatem ab ijs quæ dicta sunt noua aut diuersa dixisset? maxime cum uideamus in superiori historia eandem rem decies esse repetitam. Christus enim heri & hodie Heb. 13. idem in secula. Quorsum ergo opus erat multa lectorū molestia eadē subinde oberrare chorda? Sanè prudentiæ scripserim quod hætenus duntaxat historiā scripserit.

Cur Lucas non continuerit historiā,

DISPOSITIONIS  
ET PERIOCHES HISTORIAE  
EVANGELICAE SECUNDUM  
IOANNEM,  
LIBER I.



VI aliquid ratione certa & insigni cum fructu exponere uolunt, expositioni suæ

Summa totius euangelij.

F